



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XIV. Moribunda Gandiæ sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

XIV.
Moribunda
Gandia sa-
natur.

Thomam Baionam, Febri dudum hectica tabidam, & exhaustam; pronunciauerant medici, restitui nisi miraculo non posse, nocte etiam quadam, accessu doloris vehementi, & cordis palpitatione ad extrema redacta, commendabatur Deo, vt statim obitura. Verum illi succurrit interea, vt vitam ab S. Ignatio peteret, quam & sine mora impetrauit, mutato placidissimum in somnum agone in quo luctabatur, ad diei exortum quieuit, experrecta nec febris, nec morbi prateriti quicquam sibi residuum comperit; prater lateris dolorem exiguum, qui deterfus quoque est illitu olei, quod ante effigiem S. Ignatij Gandia ardebat, vbi hoc gestum est, anno huius seculi primo.

Hypolitam Bartholomasiam, Mutinae in S. Geminiani monialem dirum carcinoma, iam triennium exedebat, atrosque intra nares palato, & faucibus; vultuque deformato, graueolentiam expirabat tam tetram, vt ipsam & sibi fieret intolerabilis. Medicos, & chirurgos inexhausti humoris malignitas, & pertinaciter hians plaga exhausterat, in ferro & igne remedij vna spes, ex duobus enim eiusmodi, quibus manum chirurgus commodaerat aegrotis, alterum aiebat interisse, alterum secando, & vrendo seruatum. Aderat condictus curationi dies, cum aegrotantem soror miserata S. Ignatij potentem manum implorauit, vt & malum informe, & atrox mali remedium ab ea depelleret: virginem adhibet Deo sacram, per quam Deo promittit, se diem sancti praemisso ieiunio quot annis culturam, sacrum curationem illius honori, & appensuram argenteum anathema. Nec fuit pluribus agendum, impetratum tulit quicquid optauerat, pridie quam esset secandum vlcus, sub serum diei, ex palato, & faucibus erupit frustum carnis latum digitos quatuor, duritie cartilaginea, secumque morbum omnem ita penitus abstulit, vt nec igne nec ferro deinceps, nec alio medicamento egerit.

XV.
Siliqua se-
men ex aure
octennis pue-
ri post septen-
nium mira-
culo edu-
ctum.

Octavius Benedicti Dandoli filius Chiensis octo annorum puer ab colludentibus illusus coeuis, siliqua semen auriculae indidit; spondebant illi per nares reductorum, experturus ipse digito primum, post etiam fuso, quam altissime valet inserit, introque propellit. Sub noctem exoriri dolor, in crudescere die insequenti; chirurgi accurrere, vossellas, instrumentaque alia extricando grano admouere, quibus nihil effectum, nisi vt puer cruciatum non ferens in deliquia laboraret. Extra spem igitur sanationis destitutus, prater surditatem qua consecuta est, acerbis identidem doloribus capitis torquebatur. Iam septennium exhibat ab eius mali exordio, cum Societatis ineunda coepit puer desiderio ardere, communicauitque hanc suam mentem cum patre sua conscientiae arbitro, qui surditatem intelligens votis eius sine dubio obstituram, suavit eam rem S. Ignatio commendaret, quem ea domus venerabatur impensius: erat is haud pridem relatus inter sanctos, eiusque tunc festi octiduum agebatur: paruit monenti iuuenis magna voluntate, & pro more illius regionis paucillum gozipij quod S. Ignatij contigerat tabulam, auriculae ingerit. Sed vix domum reuersus tam sauo capitis